


Handwritten text on the spine, possibly a title or number.

XIII





QUOD DEUS BENE VERTAT.
DISPUTATIONEM HANC INAUGURALEM

D E

JURE ADCRESCENDI,

EX DECRETO ET AUTORITATE

NOBILISSIMI, ATQUE AMPLIS-

SIMI FCTORUM ORDINIS, IN INCLUTA

HAC NORICORUM UNIVER-

SITATE

AD CONSEQUENDOS IN UTROQUE JU-

RE DOCTORATUS HONORES, INSIGNIA

ET PRIVILEGIA

Publico eruditorum examini &


disquisitioni subjicio

JOHANN-JACOBUS DRACO,

COBURG. FRANCO.

Ad d. Mart.

M. DC. XLIX.



ALTDORPHI

TYPIS VIDUÆ SCHERFFIANÆ.

ILLUSTRISSIMO AC CEL-
SISSIMO PRINCIPI ET DOMINO

Dn. FRIDERICO WILHELMO

Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae,

& Montium

Landgravio Thuringiae

Marchioni Misniae

Comiti de Marchâ & Ravensburg

Dynastæ in Ravenstein,

Patriæ Patri Opt. Max.

Domino meo Clementissimo


Hanc meam disputationem inauguralem

debitæ subjectionis ergo

humiliter offero

JOHANN-JACOBUS DRACO.





D. O. M. A.

DE Jure Adcrefcendi difputaturus materiã subtili & intricatiffimã, apud animum meum decrevi, fuma ejus faltem libare capita, quippe inftituti mei rationi inferviens, difputationis materiã proponendo non commentarium de hac re fcripturiendo. Si cui igitur non omnia quæ debuerint dicta, ille inftituti mei, fi non fatis accuratè quadam difputata, juvenem hac me fcribere, fi cui offendiffe videbor, hominem me effe meminerit. Sit jam bono cum DEO.

THESIS I.

Jus Adcrefcendi (ut paffim Juriſti vocant) ab adcrefcendo denominatum Græcis ut Theophilo $\pi\epsilon\gamma\sigma\acute{\iota}\nu\zeta\eta\sigma\iota\varsigma$, Germ. Das Recht der Anwachsung apud Gail. 2. de P. P. c. 14. n. 15. Varias, tum apud Juris noſtri, cum alios bonos Autores acceptiones fortitur. Generaliter de omni acceſſione dicitur, ut cum patrimonio Infulæ, aut fundo quid adcrefcere dicitur. l. 56. de A. R. D. l. 1. inf. C. de alluv. Erat & olim modus adquirendi Juris civilis, fi ſervum communem alteruter Dominorum manumiferit, ſed quem Juſtiniani conſtitutio in l. 1. C. de Comm ſerv. manum. fuſtulit. Illud quoque remedium, quo filii & alii deſcendentes per virilem ſexum, præter ſuos, ſcriptis hæredibus adjiciebantur, hoc nomine veniebat. ut pr. l. de ex her. lib. Theophilus id vocat $\mu\acute{\epsilon}\rho\omicron\varsigma\ \acute{\alpha}\phi\acute{\alpha}\iota\tau\epsilon\sigma\iota\upsilon$. Nobis heic alio ſenſu

A 2

Jus

Jus Adcrefcendi appellatur, quod ex fequentibus clarum evadet, ubi prius rationem ejus & originem, è principiis deduxerimus.

II. Hanc autem rem ego ita fe habere cenfeo. Nimirum illud naturale eft, & dominii rationem confequitur, ut unusquisq; rem fuam pro libitu in alium transferre queat, nihil enim tam naturali æquitati conveniens eft, quam voluntatem domini, volentis rem fuam in alium transferre, ratam haberi, §. 40. I. de R. D. idq; non folum inter vivos, fed & maxime in eventum mortis, cum nihil fit quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis (poftquam jam aliud velle non poffunt) liber fit ftylus & licitum quod iterum non redit arbitrium *uti loquitur Constantin. in l. 1. C. de SS. Eccl.* Ideoq; & antiquiffima Lex XII. tabb. Uti (quisque) legaffit fuæ rei, ita Jus efto, latiffimam de rebus fuis poft mortem difponendi tribuit potestatem, *referente Jcto in l. 120. de V. S.* Ut tamen omnia certo ordine, & absque fraudibus procederent, leges Romanæ certas qualitates & rationes fuis civibus præfcripferunt, quibus adhibitis eorum supremæ voluntates exitum in fuâ Republ. fortirentur, *d. l. 120. de V. S.* quo fenfu & testamenta Juris publici dicuntur *in l. 3. qui testam fac. poff. v. Bachov. ad pr. I. de testam. ordin. n. 4.*

III. Cum igitur omnis fucceffio, quæ fit in omne Jus quod defunctus habuit, duplici modo contingat, vel expreffâ defuncti voluntatis fententiâ, quod testamentum Romani vocant, vel ex conjectura defuncti voluntatis, cum citra expreffionem talem, ii morientis bona confequuntur, quorum ea effe voluiffe eum, maxime probabile effet, ubi naturalem maxime rationem fecutus Romanus Legislator, certos ordines & gradus

gradus constituit, quod genus successionis, ab intestato vocatur; ante omnia voluere leges, eum qui de rebus suis, post mortem, disponere voluerit, horum generum alterutro uti, & vel uniuersim ipse de sua hereditate dispicere & sibi successorem eligere, vel ea in totum legum ordinationi relinquere, idq; est quod nemo pro parte testatus & pro parte intestatus decedere possit, & earum rerum inter se naturaliter (hoc est ex hypothesi principiorum Juris Civilis) pugna dicatur., *in l. 7. de R. I.* Similiter voluerunt eum, qui successor designatus est, uti personam defuncti repræsentat & omnia ejus Jura consequitur (nemo enim est, qui ad vicem ejus, qui è vitâ emigraverit propri^o accedit quam hæres, dicente *Cicer. 2. de LL.*) iudicium defuncti in totum agnoscere, nec pro parte acquirere hereditatem, & pro parte repudiare, cum hoc in Jure Civili absurdum sit. *l. un. §. 10. vers. in his itaq; C. de caduc. toll. l. 1. & 2. ff. de adq. her. l. 20. in f. C. de I. delib.*

IV. Hoc autem ne contingeret si pluribus simul hæredibus institutis, unus ante acquisitam partem suam deficeret, ita jus est, ut deficientis conjuncti pars^o cæteris pro ratâ accedat. *l. 53. §. f. l. 59. & l. 80. de adq. her.* & cum hoc deveniat ex ordinatione juris, ad crescat in vitis & nolentibus. *dd. ll. & l. un. §. 10. C. de caduc. toll.* quod tamen non improbabiler limitat *Riemer. dec. 7. q. 6.* Si adierit quis partem suam, cum portionem abstinentis^o sciret esse vacuam, adeoq; aliquo deficiente oneribus^o se fore implicitum, eoq; refert *l. 38. & 55 de adq. her. l. 79. ad SC. Trebell.* Sed & huic dispositionis Juris Civilis causam dedisse videtur, præsumta testatoris voluntas, qui cum aliquos conjungit, merito censetur hoc ipso omnes alios exclusos velle, qui alias succedere possent,

& in eventum alterutrius deficientis, portionem vacuum cæteris accedere. Cui præsumptioni necessitatem juris addidit lex, dicto modo, ut quod probabile esset, sensisse testatorem, jam necesse esset semper obtinere, ne absurdum Juris Civilis inde sequeretur. Unde certum est, hoc Jus ad crescendi neminem in testamento suo prohibere posse, nam si alium præter scriptos succedere voluit, sibi imputet, qui cohæredem aut substitutum non adjecerit. *v. Bachov. ad Tr. v. 2. d. 11. th. 3. inf.* Similiter si quis aliquem in re certâ, vel parte hæreditatis instituat, propter dictas causas, institutio vi sua extenditur, ut videatur in omnibus bonis institutus. *l. 10. & d. l. 80. de adq. har. v. Ant. Gomez. t. 1. V. R. 10. n. 9.* quæ ratione etiam in successione ab intestato locum habet Jus Ad crescendi, quod ii qui partem aliquam agnoverunt, alteram non possunt repudiare *d. l. 1. & l. 2. de adq. har. v. l. 9. de suis & legit. hæred. Duar. lib. 1. de I. Adcr. 1. Cujac. 12. Observ. 11.*

V. Et hæc in successione Universalibus five hæreditatibus locum habent. Secus in particularibus, ut in legatis, siquidem in hisce potior causa est voluntas testatoris, qui cum aliquos in eandem rem conjungit, eo ipso ostendit, malle se, si alteruter conjunctorum deficiat, illud ad collegatarium quam ad hæredem pertinere, quam tamen voluntatem defuncti, & ipsa legis dispositio adjuvat, certis orationibus, quæ hoc modo probabiliter defuncti mentem exprimunt, eam vim tribuens, ut ex ipsis Jus Ad crescendi oriatur. Cæterum hîc nulla est ad crescendi necessitas, ut in hæreditatibus, cum citra absurdum juris, pars deficiens, in hæreditate remanere queat. *v. Bach. ad Tr. de legat. th. 3. l. A. & de Univerfa hæc re Hillig. ad Donell. d. l. Franc.*

Mantic

*Mantic de conjectur ult. volunt. l. 4. t. 10. Ant. Fabr. dec t. 9.
error. pragm. 1. Duar. 1. de I. Adcrefc. 1. Adde omnino Anton.
Perez in praelection. ad Cod. de caduc. toll. n. 10.*

VI. Jus Adcrefcendi varii variè definiunt, ut vi-
dere est ap. *Suev. 1. de I. Adcr. 4. & Bachov. ad Treutl. cit. l.*
Nos ita describimus: Jus Adcrefcendi est facultas, quâ
ob conjunctionem in hæreditate vel legato, à lege vel
testatore factam, pars vacans cedit occupatæ: quem-
admodum ferè etiam definit *A. Perez. d. l. n. 8.* Genus
nobis est facultas, moralis scilicet, competens ad ali-
quid justè habendum vel agendum, quæ etiam alias
Juris appellatione venit. v. *Lud. Molin. t. 1. de Just. & Jur.
disp. 2. H. Grot. 1. de J. Bell. & Pac. c. 1. §. 4.* Alii loco gene-
ris, modum acquirendi ponunt; Verum ipsa potius
adcretio, quatenus in actu secundo consideratur Jus
vel facultas Adcrefcendi, est modus acquirendi, non
quatenus & cum in actu primo à nobis definitur, quod
& observat *Bach. ad Tr. d. l.* Diximus Jus Adcrefcendi
facultatem qua portio deficiens cedit occupatæ, nam
portio regulariter portioni, non personæ accedit. *l. 33.
in f. ff. de usufr. l. 83. de adq. her.* Speciale autem hoc est in
usufructu legato, ubi secus est, quod usufructus non
rei sed personæ cohæreat, uti expressum hoc est *d. l. 33.
in f. de usuf. & l. 10. de usuf. adcr.* quam legem variè *Dd.
explicant. v. Hillig. ad Donell. 10. comm. 23. l. C. Suev. 1. de
Jur. Adcrefc. 4.*

VII. Jam de Objecto sive eo circa quod versetur
& ubi locum habeat Jus Adcrefcendi dispiciamus. Di-
co itaq; objectum ejus adæquatum esse, quæ vel ex ul-
timis voluntatibus vel successione ab intestato ac-
quiruntur, eaq; & omnia & Sola. Versatur enim circa
omnes ultimas voluntates, & locum in iis obtinet uti
difer-

disertè ait *Justin. in l. un. C. de caduc. toll. in f.* in testamen-
tis sive in scriptis sive sine scriptis habitis, in Codicil-
lis, in mortis causâ donationibus, cum & in his plures
conjugi possint, & legatis alias quoad effectum, cõ-
parentur. *l. ult. C. de mort. cau. donat.* in bonorum posses-
sionibus *l. un. C. quand. nonpet. partes &c.* & ut *Dd. vo-*
lunt in fideicommissis universalibus. arg. l. 114. §. 11. de
leg. 1. Gomez. tom. 1. V. R. c. 10. n. 23. Covarruv. in cap. Ray-
naldus de testam. §. 1. n. 4. à quibus tamen dissentit *Perez*
d. l. n. 9. Item locum habet Jus Adcrescendi uti nonnul-
li nec improbabiler tradunt in unione prolium, ha-
ctenus scilicet, quatenus hoc pactum ipsum Jus succe-
dendi tribuit. *v. Suv. 2. de Jur. accr. 2.* Quid Juris sit in
mortis capione, in assignandis libertis, & Jure Patro-
natus, *v. omnino Duaren. de Jur. adcr. d. l. 1. c. 16. & seqq.*

IIIX. Præter ea, quæ ex Jure Successionum ve-
niunt, nullibi adcrescendi Jus agnoscimus, quapro-
pter illi in contractibus minime facimus locum. Præ-
terquam enim, quod leges nostræ, ubicunque de hâc
materia disputant, nullibi contractuum mentionem
iniciant, rationes, quæ huic Juri originem dederunt,
hic nullum locum inveniunt. Hoc quidem facilè con-
cedo tale Jus in contractibus obtinere, ut aliqua res, si
divisionem non patiatur, alterutri sociorum tota ce-
dat, quæ species est in *l. 5. comm. præd. & l. 64. de contrab.*
emt. Sed quod hoc è Jure Adcrescendi veniat, & eodè
Jure cum illo censeatur nego. Paulò alienior ferè, hîc
est illa, quæ alias moveri solet quæstio, an in emtorem
hæreditatis quoque transeat Jus Adcrescendi? Ubi ac-
curratè distinguit *Bach. ad Tr. de emt. & vendit. th. 12. l. A.*
aliud esse an ipso Jure, & recta accrescat emtori, quod
nulla ratio Juris suadet, aut textus evincit, & præsup-
positis

positis nostris principiis, citra vim Juris aut judicium
defuncti contingere nequit, aliud autem quando quæ-
ritur, an venditor in contractu, id præstare emtori
teneatur? quod quidem magis est, ut ex ratione Juris
negetur, & videtur quoq; evincere *text. in l. 2. §. 1. ff. de
hered. vel act. vend. V. omnino Bach. d. l. de feudo etiam*
hic disputant, an & in eo Jus Adcre-
scendi obtineat? quod quidem regulariter negatur, *c. 1. §. penult. 1. F. 5.
& c. 1. §. fin. 1. F. 14.* quod si contingat, quod pars defi-
ciens ad alium transeat, hoc non est ex Jure Adcre-
scendi, sed ex pacto in investitura facto, *v. Autores ci-
tatos à C. Rittersh. l. 1. partit. feud. c. 15. q. 30. Gail. de P. P.
c. 14. num. 15.*

IX. Viso Objecto seu eo circa quod Jus nostrum
Adcrescendi versatur, nunc quomodo in actum dedu-
catur, & quid ad id requiratur, inquirendum. In-
summâ autem, ut Jus Adcrescendi obtineat, requiritur,
ut pluribus, uno & eodem testamento, idem Jus ad
eandem rem datum sit, quod conjunctionem nostri vo-
cant, ex quâ jam conjunctione, de voluntate testato-
ris (si de legatis loquamur) quod solidam rem potius
ad alterutrum legatariorum, quam dimidiam partem,
quæ deficit, fortè ex morte aut repudiatione alterius
conjuncti, ad hæredem reverti velit, argumentum su-
mitur. Hinc quibus singulæ res relinquuntur, uti
non pro conjunctis habentur, ita nec in iis Jus Adcre-
scendi locum habet. *l. 84. §. 12. de leg. 1.* Aut quibus ali-
cujus rei partes ascripsit testator, nec enim hîc locum
habet, sed singulis debentur partes, censetur enim hoc
voluisse testator, ut, quæ cuiq; pars legata est, ea cuiq;
sola, & nihil amplius obveniat. *l. 1. de usus. accr. l. 20. de
legat. 2.* Debent igitur conjuncti, rem initio in soli-
B dum

dum habere, *l. conjunctim 80. de leg. 3.* quod quidem non ita intelligendum est, ac si conjuncti eandem rem in solidum actu habeant & absolute, quod per rerum naturam fieri nequit, sed secundum quid, quatenus non repugnat cuicunq; conjunctorum, rem solidam potius quam alios, præter collegatarios habere ex voluntate defuncti, posito quod conjunctorum quis deficiat. *v. Bach. ad §. 8. l. de legat. n. 2. & Magnif. Dn. Franzk. comm. in w. de usuf. accr. n. 12.* Debent autem conjuncti esse in eandem rem non genere aut specie, sed numero, sive quod idem est, in idem individuum, quod si quantitas individui rationem habeat, *ut in l. 51. de leg. 1. etiam in ea conjunctionem fieri posse existimo arg. l. 15. §. 1. de leg. 1. & l. 7. de leg. 2. Treutl. de legat. th. 3. l. H. & ib. Bach. Diss. Perez. d. l. n. 11.*

X. In universum autem conjunctio est, vel simplex, quæ fit verbis tantum aut re tantum, vel Mixta re & verbis simul. *v. §. 8. l. de leg. l. un. §. 10. C. de caduc. toll. junctâ l. 89. de leg. 3. & l. triplici. 142. de V. S.* Re conjuncti tantum dicuntur, quibus eadem res separatim, id est diverso orationis contextu relinquitur, ut Titio fundum Tusculanum do lego, Moevio eundem fundum, do lego (in hæreditatibus) Titi⁹ hæres esto, Idem Moevius hæres esto, qui quidem conjuncti ob illam orationis diversitatem ferè appellari solent disjuncti, *ut §. 8. l. de leg. l. 34. pr. de leg. 1. l. un. §. 10. C. de caduc. toll.* Verbis conjuncti sunt, quibus eadem res eadem oratione relinquitur, sed partibus à testatore expressis, veluti Titio & Sempronio fundum Tusculanum æquis partibus do lego. Mixtim id est, re & verbis conjuncti sunt, qui rei simul & sermonis contextu, & unitate junguntur, veluti Titio & Sempronio fundum Tusculanum do
lego

lego, Titius & Sempronius hæredes sunto. v. d. l. 142. de
V. S. & ibi Gædd. n. 2.

XI. Omnes autem hæ conjunctiones, inspectâ
mente & voluntate testantis reales sunt, ea etiam, quæ
verbis tantum fit, quippe quæ ita dicatur inspectâ vi-
delicet nudâ superficie verborum, & externâ formâ.
Non enim propterea aliquos re & verbis simul con-
juxit testator, ut censeatur eos maximè præ cæteris
conjunctis dilexisse, aut quod alii magis conjuncti sint
alii minus conjuncti, uti post *Duaren. i. de J. Accr. c. 6.* ex-
istimat *Suevius*. Sed ideò aliquos in eandem rem con-
juxisse testator censendus est, ut si quidem omnes
concurrant, scindatur inter eos legatum, & res divida-
tur. *l. conjunctim 80. de leg. 3.* alterutro autem deficien-
te, totum ad collegatarium pertineat. Quum autem
hunc casum, nimirum utriusq; concurrentis, & alterius
deficientis considerasset testator, si probabiliter cen-
suit fieri posse, ut alter deficiat, conjunxit duos in re
legatâ, ita ut quod concurrente utroq;, singulorum pro
parte esse voluerit, id altero deficiente insolidum esse
voluit alterius. Atq; hoc est, de quo supra dixim⁹, quod
conjuncti dicantur habere solidum, & quid. re con-
juncti ab initio. *l. i. §. 3. de usuf. accres. & d. l. 80. de leg. 3. l.*
un. §. II. C. de caduc. toll. Unde Dd. excogitarunt Jus⁹
suum non decrescendi, quod tamen minimè rationi
juris conveniens est v. *quoq; l. i. §. 3. de usuf. accres.* ubi a-
pertè re conjunctis accrescendi Jus tribuitur. Et
hoc sensu, quo volunt Dd. Jus non decrescendi anti-
quioribus Jctis prorsus incognitum fuit, licet Dd. ita
statuendi occasionem præbuisse videantur verba *Justi-*
niani in d. l. un. §. II. C. de caduc. toll. v. Bach. aa Tr. de leg. d.
th. 3. lit. A. & ad Wesf. de usuf. accr. qui tamen sibi ipsi non

constat, cum hoc Jus non decrescendi, quod ante negaverat, admittat. *ad §. 7. Inst. de legat. n. 2. V. omnino Dn. Franzk. exerc. 7. q. 3.*

XII. Similiter, si testator probabiliter cogitare potuit, fore ut uterq; concurrant, partes ipse adscripsit: cæterum & hic, quia conjunxit, putandum est, in eventum alterius deficientis, eum voluisse solidum ad illum pertinere. Sicuti enim re conjuncti ab initio solidum habere dicuntur, quia testator probabiliter respexit, ad casum alterutrius deficientis, & tamen partes concursu eos facere certum est, ita & eodem modo verbis conjuncti, etsi initio partes semper expressas habeant, quia testator potius de casu utriusq; concurrentis, quam alterutrius deficientis probabiliter non cogitavit, nihilominus tamen ratione eventus, jus ad solidum, si contigerit ut unus deficiat, habent, cui consequens est Jus accrescendi. Quapropter in omni conjunctione, eâ etiã quæ verbis tm. fit Jus adcrescendi obtinere statuimus, tum quod hoc ex ratione Juris nostri sit adæquatus conjunctionis effectus, tum quod pluribus quoq; textibus suadeatur hæc sententia. *v. l. 10. §. ult. in f. de leg. 1. l. re conjuncti. 89. de l. 3. l. 66. de hered. institut.* quam etiam sententiam communem & in praxi receptam esse scribit *Praclarissimus Academ. Julia Jctus, Heintz. Hahn. animadv. ad Wesf. w. de usuf. accr. n. 4. Bachovius in hac controversiâ admodum varius, ad Tr. c. l. de legat. d. th. 3. l. C. ubi fuse de hac quæstione disputavit, tandem in nostram descendit sententiam, à quâ tamen recedit, ad d. §. 8. I. de legat. num. 3.* Sed ad priorem sententiam relabitur *ad Wesf. w. de usuf. acc. v. quoq; Perez. d. l. n. 13.*

XIII. Diximus autem oriri Jus adcrescendi ex conjunctione, ita tamen si prius alteruter deficiat, restat,

stat igitur, quisnam hinc & ad hunc effectum pro deficiente habeatur. Generaliter igitur constituendum est, collegatarium siue conjunctum aut deficere, aut non: deficit conjunctus, aut cum non vult, siue repudiat legatum, idque non fit nisi post mortem testatoris, nam tunc demum dies legati cedit, *d. l. un. §. 1. de cad. toll.* & hinc nullum subest dubium, quin pars ita deficiens ad conjunctum vi Juris Adcrescendi pertineat; aut non potest capere legatum, & *in l. un. §. 4. C. de cad. toll.* distinguuntur duo casus. Prior est, cum adhuc vivo testatore deficit conjunctus, & hinc alteri omnino adcrefcit. *§. 8. l. de leg. d. §. 4. l. un. C. de cad. toll.* Secundus est cum mortuo testatore decessit collegatarius, & tunc cum cesserit dies legati, non improbabile videtur, legatum transmitti ad hæredem. Non deficit, si conjunctus aut sit incapax, aut ignorante testatore mortuus tempore facti testamenti, sed & olim obtinuit, hodieque statuit Justinianus, eam partem ad conjunctum pertinere. Quam in re fatendum est improprie dici jus adcrescendi, cum ille non possit dici deficere, proprie, qui nunquam concurrat, sed alter solidum capit jure suo, cum ejus merito potior causa esse debeat, quam hæredis. *v. hic Bach. ad Tr. d. d. & th. inf. & ad d. §. 8. l. de leg. in fin. Adde Dn. Franzk. ad cit. tit. de usuf. accr. n. 11. & c.*

XIV. Postquam jam vidimus, quid ad id requiratur, ut obtineat Jus Adcrescendi, minimè prætereundum duxi, discrimen illud, quod facit Justin. *in d. l. un. §. 11.* inter conjunctos (re & verbis) & disjunctos, (uti ibi vocat re tantum conjunctos.) Nam quoniam hi quasi expressius solidum habent ex mente testatoris, qui magis casum alterius deficientis respexit, & quasi alterutri solidum secundum suam conjecturam assigna-

vit, & propterea hoc verborum complexu conjunxit, ideo postquam conjunctus tali modo, semel partem agnovit, eam ulterius repudiare nequit, exemplo unius legatarii, qui partem legati, pro parte, agnoscere nequit, *l. 4. ff. de leg. 2.* adeoq; etiam ei invito & nolenti adcrefcit, quod secus est in conjuncto (nim. re & verbis) & ob eandem rationem, quod disjunctus sive re tantum conjunctus ab initio solidum, idq; quasi jure suo habere videtur, onus quo pars deficiens gravata est, non agnoscere tenetur, §. 10. & 11. *d. l. un. C. de cad. toll.* quod merito secus est in conjunctis, utpote qui facultatem quoq; habeant repudiandi alteram partem, *v. omnino Bach. d. l. l. H. Perez. n. 17. Dwar. l. 2. c. 2.*

XV. Cum autem plures in eandem rem conjuncti, actu concurrant, & inter eos ita scindatur legatum *d. §. 8. Inst. de leg. h. t. l. 80. de leg. 3.* Siquidem omnes hæredes (in universalibus) aut legatarii, eodem modo conjuncti sint, constat, eos ad partem vacantem, pro parte hæreditaria vel pro portione legati vocari. *l. 59. §. 3. l. de her. inst. l. 41. pr. ff. de leg. 2. §. 8. d. l. un. C. de cad. toll.* Quod si diversi generis plures conjuncti concurrant, difficilius inspectio est? Et in hoc argumento occupatur Jctus *in l. 89. de leg. 3.* Et primò illud extra controversiam est, mixtim conjunctum cæteris omnibus præferri, quod & in *d. l. 89.* expressit Jctus. Illud vero dubium recipit, quinam inter re tantum conjunctos, & verbis præferatur? Nobis omnino menti & verbis Jcti *in d. l. 89.* convenientius videtur, verbis conjunctum re tantum conjuncto præferri. Ratio assignari hæc solet, quod re conjuncti, nihil videantur commune habere cum cæteris. Qui autem verbis tantum conjuncti sunt, hi tanquam utroq; modo conjuncti cæteris potiores sunt, & iis competit

petit ratio Justiniani, *in d. l. unic. §. 10. de cad. toll.* quod
quasi propter unitatem sermonis in unum corpus, re-
dacti sint, & partem conjunctorum sibi hæredum, quasi
suam præoccupant, & hanc sententiam eleganter con-
firmat *Duaren. l. 2. c. 7. & pluribus sequentibus v. quoq. Pe-
rez. d. l. n. 18.* Et hæc de intricatâ hæc, & spinosissimâ
materiâ, quasi per Indicem proponere magis, quam
tractare plenius, pro ratione instituti, & viribus ingenii
placuit. In magnis, & voluisse fat est.

SOLI DEO GLORIA.



W Ehr da begierig mit rühmliger Jugend
Pallas auffopfert die zärtliche Jugend/
Tag vnd Nacht tichtet / wie möge zu hand
Er mit begeisterten Sinnen erzwingen
Daß was ihm möge zu ehren auffbringen
Daß er auch werde den Sternen bekand/
Hönische sinnen/vergifteter pfeile/
Schändlicher mißgunst bekömpft er in eile
Staglichte wege die wandelt er fort
Eh' er erlanget mit reiffigen glücke
Irdische wollust treibt von sich zurücke
Frölich ersteige den glücklichen port/
Dann so kömte Pallas mit heuffiger hülle
Schüttet auß über ihn wollust die fülle/
Juno bereitet ein Lorbernes band
Ihme die schlaffe der stirnen zu zühren
Sama bemühet sich emsig zu zühren
Jugend vnd Namen durch Himmel vnd Land.

Well

Weil ihr nun diesen dingen
Durch Himlisches beginnen
O wehrter Musen Sohn
Mit glücke seyt entronnen
Den Himmel näher kommen
Tragt ihr den Kranz davon/
Euch wunscht Apollo glücke
Die Fama leufft zurücke
bald dann auch wider her
Die tugend außzubreiten/
Den nahmen nauff zu leiten
Biß an der sternenn heer/
Die Musen seind bemühet
Ein jede dahin sihet
Wie zu begegnen sey/
Euch / die ihr Ruhm erlanget
Mit neuen Titul pranget
Auch alles stehet frey/

Die Rechte zu erklären
Den Nahmen zavermehrten
Durch hohen Doctor stand/
Die Themis will euch leiten
Auff alle beyde seiten
Mit ihrer rechten Hand/
Der Helicon jetzt springet
Der Nymphen schaar schön singet
Und streuen blumen auß
Euch damit anzuzeigen/
Daß Ihr des Sieges zeichen
Solt tragen jetzt nach hauß
Wann Ihr noch einmahl sieget
Denn kampf mit glück oblieget
Wird euch diß sein der lohn/
Daß Ihr mit grossen Ehren
Erfrewlich solt anhören:
Der Vatter leb't im Sohn.

Zu bezeugung seiner erewlichen
freundschaftte schriede dies
ses eilsambst

Johan. Philipp Facius.

FINIS.




DA A 6620

ULB Halle 3
002 937 557



DA 17







21.

QUOD DEUS BENE VERTAT.
DISPUTATIONEM HANC INAUGURALEM
D E

JURE ADCRESCENDI,

EX DECRETO ET AUTORITATE

NOBILISSIMI, ATQUE AMPLIS-

SIMI FCTORUM ORDINIS, IN INCLUTA

HAC NORICORUM UNIVER-

SITATE

AD CONSEQUENDOS IN UTROQUE JU-
RE DOCTORATUS HONORES, INSIGNIA
ET PRIVILEGIA


Publico eruditorum examini &

disquisitioni subjicio

JOHANN-JACOBUS DRACO,
COBURG. FRANCO.

Ad d. Mart.

M. DC. XLIX.



ALTDORPHI
TYPIS VIDUÆ SCHERFFIANÆ.